

CAP. VI.

S V M M A R I A.

Argumentorum Classis III. e polito judicio depromptorum:

Conclusio sententie. Salmasii judicium perlustratum.

Restant argumenta politi judicii & honestæ rationis. **P**rimum, esse luxuriæ pabulum sangvinem, & incitamentum crudelitatis; alterum est, sine difficultate posse observari, & tutiorem in litera Legis esse conscientiam, quam in acuta explicatione. Cæterum non major potest in sangvine, quam in carne luxus esse. Hieronymus esum carnium seminarium libidinis vocat. Anne ideo ab illis etiam prorsus abstinentiam? luxuria nusquam est in licto, nisi si in superfluum evadat. Crudelitas vero quomodo a sangvinis comedione provenit? Si melancholicus inde efficitur homo, æque cito in contrarium prolabetur ac in crudelitatem; Et jam supra ostendimus, sangvine vescentes Christianos non magis inclinati ad effundendum sanguinem humanum, quam alios nullum sanguinem attингentes. **Q**uanti inter Judæos homicidæ, quam feroces in sangvine humano abstemii illi! Americanorum truculentia, si sangvini adscribenda, ut assolet fieri, crudo est adscribenda, non autem præparato seu cocto. Nec tamen illos credidero sangvinis esu truculentos fieri; bene autem tales habuero, quia crudo sangvine bestiarum more vescuntur; faciunt igitur ad quæ ferociens natura ipsos compellit, non fugunt ex sangvine ferociam. Alterum quod de facilitate observationis & litera legis objicitur, sat bene habet, si a facilitate ad legem sit argumentandum; Est autem svasio, quia auditori lex commendatur, si modo de lege ipsa prius constiterit. Cæterum inducțio ad præstandam legi obedientiam non est legis fundamentum, Literam autem legis, quæ placitum contrarium nostræ sententiæ confirmet, hactenus invenire non potuimus, sed e tota textuum sanctorum serie, & ex ipsa litera, non ex acuta inventione Apostolicum consilium Legesque sanctas explicavimus.

Part. III.
ep. tr. IX.
ep. XLI.
c. 12.